

„dunt; nec nos ii qui dominorum temporalium obsequiis
„se tradunt & in eorum negotiis curandis toti occupan-
„tur.

V. Synodus quoque Oecumenica VII. *can. 10.* vult,
ut Clericus, qui de consensu Episcopi „Principum Capel-
„lanus constituitur, non liceat ei mundanas & seculares
„curas suscipere; præsertim cum hoc agere prohibeatur
„à Sacris Canonibus: potius autem maneat ad magistrari-
„um tam puerorum, quam famulorum, relegens eis Di-
„vinas Scripturas: ad hoc enim Sacerdotium consecutus
„est.

Hic obiter nota, jam pridem à Synodo generali lauda-
tos, qui pueris, quos instituendos suscipiunt, Sacras Scri-
pturas prælegunt; & commendant.

VI. Annumerant pariter Sacri Canones negotiis sæcu-
laribus, à Clericis haud facillè suscipiendis, tutelas, cura-
telas, similesque curas, quæ Clericos multis difficultati-
bus natae sunt implicare, & à divinis functionibus mul-
tùm impedire, animumque distrahere.

Notum est illud Concilii Africani à S. Cypriano lau-
datum. „Ne quis de Clericis, & Dei Ministris tutorem
„vel curatorem testamento suo constituat: quando sin-
„guli divino officio honorati, & in Clerico ministerio
„constituti non nisi Altari & Sacrificiis deservire, & præ-
„cibus atque orationibus vacare debeant.

Hanc Clericale officium inter & similes functiones in-
compatibilitatem intelligens Justinianus Imperator Ep-
iscopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis
omnibus immunitatem ab omni cujuscunque generis tu-
tela & curatela concessit: Unâ tamen declarans; eos tan-
tum Clericos & Monachos hujusmodi habere benefici-
um, qui apud sanctas Ecclesias, vel Monasteria per-
manent: *Cum propter hoc, ait, ipsum beneficium eis indulge-
amus, ut, aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministeriis
inhereant L. 51. C. de Episc. & Cler.*

Hic per transennam observa veram ac præcipuam cau-
sam immunitatum, & privilegiorum Clericalium.

Privilegium Justiniani moribus Belgii receptum esse
quoad immunitatem Clericorum ab onere tutela & cu-
ratela, testatur à Sande in Decis. Frisic. rit. 9. Decis. 7.

Itaque ut verbo dicam, negotia secularia, præsertim
quæ multùm distrahere & implicare hominem solent,
studiosè à Clericis declinandam: Aut ut minus, si necessitas
aut proximi charitas exposcat, ea moderatione suscipien-
da & amplectenda, ut quæ vi officii Clericalis sibi incum-
bunt haud negligantur; ne è milite Christi & Ecclesiæ,
miles & servus mundi factus videatur.

Quod de negotiis, idem & de studiis statuendum: ut
nimirum studia Clericorum vocationi eorum sint con-
formia.

Hoc ex Capite jam pridem Monachis, Archidiaconis,
Decanis, Plebanis, Præpositis, Cantoribus, & aliis Cleri-
cis Personatus habentibus, nec non Presbyteris sub pœ-
na excommunicationis late sententiæ prohibuit fuit
audire Leges civiles, *Cap. 3. & Cap. 10. Ne Cler. vel*

Monachi secul. neg. &c. „Ne occasione scientiæ (inquit A-
„lexand. III. in citato *Cap. 3.*) Spirituales viri mundania
„rursus actionibus involvantur.

Et sanè, ut rectè advertebat magnus ille Bathoniensis Ar-
chidiaconus Petrus Blesensis: „Res plena discriminis est
„in Clericis usus Legum; totum enim hominem adeo si-
„bi vindicat, ut eum rei familiaris providentia fraudet,
„suspendat à spiritualibus, à divinis avellat.

VII. Hinc tamen nemo inferat, Legum humanarum
studium Clericis & Monachis plene esse interdictum:
quandoquidem certum sit, Theologicæ scientiæ, præser-
tim ubi de Jure & justitia tractat, legum civilium notiti-
am non parum conducere. Canonicam quoque scientiam
plurimum ex notitia legum adjumentis accipere, nimis e-
videns est. Unde rectè Pontifice in *cap. 1.* „De novi operis
„nuntiat. „Sicut Leges non dedignantur SS. Canones imi-
„tari, ita & SS. Statuta Canonum Principum Consti-
„tutionibus adjuvantur.

Nulloatenus proinde statui aut vocationi Clericorum
contrariatur studium Legum Civilium; modò ea fiat mo-
deratione, ut nec contra Apostoli præceptum, Deo mili-
tantes negotiis secularibus implicentur; neque discepta-
tionum forensium peritiam per studium istud affectent:
cum judicatum sit, *Absurdum Clericis esse, imò opprobrio-
sum, si peritos se velint ostendere disceptationum forensium L.
41. C. de Ep. & Cler.*

VIII. Quapropter Pontifices concedentes dispensatio-
nem Presbyteris aliisque Clericis audiendi Leges Civiles,
eam ad triennium restringere consueverunt: „Ne præce-
„xtu longioris temporis studendi, (ait Pyrrus Conradus
in Praxi dispensationum *parte 3. cap. 5. num. 28.*) Presby-
„teri & alii Clerici supra expressi, occasione scientiæ mun-
„danis actionibus involvantur, & nimis à contemplatio-
„ne distraherentur; cum per Jus Civile non dirigatur prin-
„cipaliter homo in Deum, sicut per Jus Canonicum.

Apponunt insuper hanc clausulam: *Pro majori Sacro-
rum Canonum intelligentia,*

IX. Ex his haud difficulter intelligitur, quod dum Pon-
tifices Academia Lovaniens, aliisque indulgent privile-
gia, (quæ quædam dispensationes sunt) ut etiam Presby-
teri & Clerici dignitates vel Personatus possidentes,
Physicam, Medicinam & Leges liberè audire queant, illa
sunt accipienda cum ea moderatione, ut Clerici illis scien-
tiis vacare possint, quatenus non negligent Canonum &
Theologiæ scientiam statui suo & vocationi convenien-
tem; neque occasione studii Legum aut Medicinæ mun-
danis actionibus nimis involvantur, & à contemplatione
& gustu rerum divinarum nimium abstrahantur.

X. Quia verò hujusmodi moderatio generaliter deter-
minari nequit, ac propterea cujuscunque conscientie relin-
quatur, hinc usu & moribus Belgii obtinuit ut Clerici
quicumque liberè Leges & Medicinam sine ullo excom-
municationis metu audiant: neque ullus credat, sibi spe-
ciale dispensationem Pontificiam esse necessariam, ut
tutus sit à pœnis canonicis.

Can. 1. in qua Dionysius Severo Episcopo scribit: „Eccle-
„sias singulas singulis Presbyteris dedimus: Parochias &
„cœmeteria eis divisiimus, & unicuique jus proprium ha-
„bere statuimus: ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ
„terminos, aut jus invadat, sed unusquisque suis terminis
„contentus & taliter Ecclesiam & plebem sibi commif-
„sam custodiat, ut ante tribunal æterni Judicis de omni-
„bus sibi commissis rationem reddat, & non iudicium, sed
„gloriam pro suis actibus accipiat.

Verùm cum hodie eruditus omnibus compertum sit,
hanc Epistolam Sancto Dionysio falsò adscriptam, eam-
que putridis Isidori Mercatoris mercibus annumerandam
esse; ut fufius in Observationibus ad collectionem Isidori
Mercatoris ostendimus, parùm solidum, pro earum in-
stitutione & divisione astruenda, hinc argumentum sumi-
tur.

II. Quin tamen antiqua sit earum institutio & divisio,
haud dubitari potest. Scribit enim Sanctus Achanasius,
Apolog. 2. „Mareotes ager est Alexandria, quo in loco
„nunquam Episcopus fuit, imò nec Chorepiscopus qui-
„dem, sed universæ ejus loci Ecclesiæ Episcopo Alexan-
„drino subjacent; ita tamen, ut singuli pagi suos Presbyteros
„habeant.

Quod in Episcopatu Alexandrino erat tempore Sancti
Athanasii, hoc sensim, populo Christiano crescente, per to-
tam Ecclesiam factum fuit: id est, distinctus Episcopales,
quos hodie Diœceses vocamus, in plures divisi fuere por-
tiones; atque cuique portioni sua attributa Ecclesia, & po-
pulus Ecclesiæ illi vicinus; quas hodie *Parochias* appella-
mus.

III. Porro sicuti singulis Diœcesibus seu districtibus Ep-
iscopalis unicuique erat præfectus Episcopus, cui totius
Diœcesis regimen incumberebat, & quæ populus istius Diœ-
cesis, ut proprium Episcopum colere & agnoscere deberet;
ita & singulis Parochiis datus fuit Presbyter, qui totius
Parochiæ curam spiritualem ageret; qui propterea *Para-*
chus, seu Presbyter Parochianus dicebatur: & quem populus
tamquam proprium suum Pastorem venerari & audire
deberet: propterea dicitur *proprius Sacerdos.*

Ea de causa cautum fuit, „Ut nullus Presbyter alte-
„rius Parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi
„habuerit, absque licentia sui Presbyteri ad missam reci-
„piat vel sollicitare præsumat.” *Constit. Synod. Heraldi
Episcopi Turonensis cap. 29.*

Et ex Concilio Nannateni refertur in *cap. 2.* „De *Para-*
chis: „Ut Dominicis & festis diebus Presbyteri ante-
„quam Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius
„Parochianus in Ecclesia sit, qui contempit proprio Pres-
„bytero ibi vellet Missam audire: quem si invenerint, sta-
„tim ab Ecclesia abjiciant.”

Quin & anno 1310. statuit Synodus Colonienfis, „Ut
„nullus Parochianus ab alio, quàm à suo vero Plebano
„communione recipiat: nisi de hoc privilegiis authen-
„ticis sit munitus. Contrarium facientes à perceptione
„Corporis Christi absteineant, quousque ipsi Plebano sa-
„tisfecerint de contemptu.”

IV. Hinc Synodus Tridentina collapsam disciplinam
restaurare desiderans, mandat Episcopis, „In iis quoque
„civitatibus, ac locis, ubi parochiales Ecclesiæ certos
„non habent fines, nec earum Rectores proprium popu-
„lum, quem regant, sed promiscuè petentibus Sacra-
„menta ministrant; pro tutiori animarum eis commif-
„sarum salute, ut distincto populo in certas, propriasque
„Parochias unicuique suum perpetuum, peculiaremque
„Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & à quo
„solo licitè Sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo,
„prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis
„civitatibus, ac locis, ubi nullæ sunt Parochiales, quam-
„primùm fieri eurent: non obstantibus quibuscumque
„privilegiis, & consuetudinibus, etiam immemorabili-
„bus.” *Sess. 24. de reform. cap. 13.*

Qui mentem ac intentionem Concilii jam relatis ver-
Vain Espen Jur. Eccles. P. 1.

bis expressam attenderit, haud difficulter intelligit, satis-
factum esse decreto Concilii, si Parochiæ quidem certos
& determinatos fines non habeant, sed certum populum
certaque familias; usque adeò ut Sacramenta promiscuè
non administrantur, sed Parochi suos noscant, & eum sui:
& ita respondisse S. Congregationem testatur Barbosa *De
Officio Parochi part. 1. cap. 1.*

Uterius evincit citatum decretum Synodi, unicuique
Parochiæ suam debere esse Presbyterum, qui sit Caput
Ecclesiastici istius Conventus; & cui totius Parochiæ cu-
ra spiritualis principaliter & immediatè incumbat; quem-
que Parochiæ istius populus, ut ordinarium, & proprium
Sacramentorum Ministrum agnoscat.

V. Proinde meritò dicendum cum pio Gersonio Pari-
sienfi Cancellario: „Domini Curati sunt in Ecclesia Minori-
„res Prælati & Hierarchæ ex primaria institutione Chri-
„sti: quibus competit ex statu jus prædicandi, jus Con-
„fessiones audiendi, jus Sacramenta Ecclesiastica secun-
„dùm exigentiam sui status & Parochianorum ministran-
„di, jus sepulturas dandi, jus insuper decimas & alia jura
„parochialia recipiendi.” *De potestate Ecclesiastica Conf. 12.*

VI. „Sæpe ergo recogitent Pastores (verba sunt Sy-
„nodi Gandensis anni 1613. *tir. 16. cap. 9.* renovata in
„decretis Synodalibus sub D. Triest *tir. 16. cap. 14.*) se-
„ad Ovium suarum salutem omnes suas actiones & fun-
„ctiones pastorales dirigere debere, & sibi aliquando
„pro animabus earum reddendam rationem in strictissi-
„mo Dei iudicio: ideo etiam earundem salutem conti-
„nuis precibus & quotidianis Sacrificiis Deo ferventer
„commendent, omnibus ritè dispositis non minus prom-
„ptè, ac benignè, quàm reverenter Sacramenta admini-
„strent, atque ita grandiores pascant verbo Dei ac salu-
„tariis monitis, ut parvulis quoque panem frangere
„non omittant, & in omnibus præbeant se ipsos exem-
„plum bonorum operum, facti forma gregis ex animo.”
Simile monitum exhibet Synodus Antverp. sub Miræo
tir. 16. cap. 7.

Porro sicuti cura pastoralis totius Diœcesis Episcopo
incumbens non impedit, quo minus Parochi alique infe-
riores Ministri Episcopo in sollicitudine pastoralis adju-
tores accedant, ita nec cura pastoralis uni Parocho injuncta
prohibet, quo minus plures in eadem Parochia sub ipso
Parocho ut principali, functionibus pastoralibus occupen-
tur, & cum Parocho allaborent. De quibus capite sequenti.

CAPUT II.

De Vicepastoribus: à quo assumendi, & quid iis
incumbat?

- 1 Parochi cogendi ut necesarios Ministros sibi adjungant.
- 2 Vice-Pastorum assumptio pertinet ad Pastorem; nisi speciali titulo aliud obtineat.
- 3 Synodus Trident. Sess. 21. c. 4. de reform. agit de Vice-Pastoribus, non de Fratibus Mendicantibus.
- 4 Vice-Pastoribus etiam propriè cura Parochia incumbit.

Bis Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostoli-
cæ delegati, ait Synodus Tridentina *Sess.
21. cap. 4. de reform.* in omnibus Ecclesiis
Parochialibus, vel baptifmalibus, in
quibus populus ita numerosus sit, ut u-
nus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramen-
tis ministrandis, & cultui Divino peragendo; cogant
Rectores vel alios ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes
ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramen-
ta exhibenda, & cultum divinum celebrandum.

II. Cum ergo Synodus velit, Rectores Ecclesiarum
per Episcopos esse cogendos, ut sibi adjungant tot
Sacer-

TITULUS III.
De Pastoribus & Vice-Pastoribus.

CAPUT I.

Singulis Parochiis singuli Parochi totius Paro-
chiæ curam sustinentes præficiendi.

- 1 Instituti & div. sio Parochiarum malè Dionysio Pape tri-
butur.
- 2 Est tamen antiqua.
- 3 Totius Parochiæ cura incumbit Parocho.

- 4 Fines Parochiarum debent esse certi & distincti.
- 5 Parochus est principalis & proprius Sacramentorum mi-
nister in sua Parochia.
- 6 Sæpe Pastores recogitent sibi totius Parochiæ curam in-
cumbere.

I. Parochias jam tum sæculo 3. fuisse institutas & di-
visas, probant communiter Canonice auctorita-
te Epistolæ, quæ sub nomine Dionysii Pape (qui
vixit circa annum 266.) refertur à Gratiano *Caus. 13. q. 1.
Can. 1.*

CAPUT III.

Parochi alique curam Animarum sustinentes jure divino tenentur residere:

- 1 Quod residentia sit juris divini probatur ex Concilio Trid.
- 2 Nullus antiquorum id negavit.
- 3 Edicta Regia circa residentiam Pastorum quid statuunt?
- 4 Quid Synodi Belgicae?
- 5 Rigor Synodorum moribus nonnihil mitigatus.

Sacerdotes, quot administrandis Sacramentis, & cultui Divino celebrando sunt necessarii, luculenter supponit, Sacerdotum electionem non ad ipsos Episcopos, sed ad ipsos potius Rectores Ecclesiarum parochialium, qui illos in suum adiutorium adungere coguntur, spectare.

Et quidem moribus Belgii etiam obtinuit, ut Parochi suos Vicepastores assumant, nisi forsitan speciali titulo electio vel presentatio Vicepastoris, aut alterius Sacerdotis subsidiarii alteri sit delata: Qui titulus plenè probandus est, ut Parochus excludatur.

Et sanè cum Vicepastores in subsidium Parochorum deservuntur, eorumque vices suppleant, & ipsorum consequenter Vicarii sint, non minus ipsis deferenda eorum electio, quam Episcopo aliisque Prelatis suorum respectivè Vicariorum.

III. Adhac jam citatum Concilii Tridentini Decretum, Rectoribus injungens, tot sibi Sacerdotes ad munus pastorale adungere, quot sufficienter ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum, intelligi de Sacerdotibus, qui in Parochia residentes, unà cum Parocho Sacramenta administrant, & cultum divinum celebrent, ipse tenor decreti fat manifestè declarat.

Quapropter huic decreto satisfactum cupiens Synodus P. II. Cameracensis tit. 5. cap. 4. expendensq; in plurimis hujus Provinciae Ecclesiis parochialibus unum esse cum suo Custode seu Clerico Sacerdotem: "Equissimum judicavit, ut qui in eisdem Capellanias obtinent ad Pastorem, in praedictis cooperandum, ideoque ad personalem residentiam, juxta verisimilem Fundatorum intentionem, obligentur. Verum cum hoc sit difficillimum quoad omnes obtinentes Capellanias in usum revocare, in his saltem hoc omnino mandat observari, in quibus de dicta obligatione ex Originali aut Authentica foundationis copia constare poterit."

Non dubitavit ergo hæc Synodus, quin Tridentina Synodus loqueretur de Sacerdotibus, qui in Parochia residentes Pastoribus in munere pastoralis essent adiutorio: consequenter non de Fratibus Mendicantibus, qui in adiutorium Parochorum ad unum alterumve actum subinde advocari solent; sed de Sacerdotibus, qui in omnibus curam Animarum cum Parocho sustinent: quales indubiè præcipuè sunt hi, quos Vicepastores dicimus.

Hi enim non in uno alterove actu, neque certis dumtaxat Solemnioribus diebus, quemadmodum Fratres Mendicantes, Parocho assistunt; sed indifferenter, idque sine dierum aut temporis distinctione in omnibus quæ curam Animarum spectant, unà cum Pastoribus laborant; eique opitulantur: adeo ut & propterea Parochiæ cura ipsis incumbat; curamque Animarum habere dicantur, non secus ac ipsi Parochi: hac tantummodo differentià, quòd hi titulum perpetuum habeant; ipsiusque Parochiæ Capit & primarius Presbyter & Curatus sit, ipsi autem Vicepastores ordinariè tamquam meri Parochorum Vicarii & subsidiarii sint amovibiles, & ipsi Parocho in his, quæ Animarum curam concernunt, subjecti.

IV. Quemadmodum ergo Parocho propriè totius Parochiæ cura incumbere, verusque Curatus & proprius Sacerdos dicitur, licet ipsi Episcopo primario & principaliter eadem cura incumbat; eique in concernentibus curam Animarum subiciatur, ita quoque Vicepastores propriè curam Animarum habere; verique Curati sive Pastores dicuntur, tametsi cura Parocho primario incumbat, & que in hac cura subiciantur. Ideoque quæ de Parochorum residentia, ac obligatione munus pastorale per se obeundi (de quibus infra) decreta sunt, etiam in Vicepastoribus locum habent; utpote quibus non secus ac ipsis Parochis cura Animarum incumbit.

travenientes verò multari volumus toties quoties, librà grossorum, aut alià graviori pro modo culpæ & arbitriaria."

Quæ Synodalia Decreta planè consona sunt Decreto Concilii Tridentini Sess. 23. cap. 1. De reform. utpote nullam sine Episcopi licentia Parochis absentiam quantumvis temporariam annuenti; ut ex ipsis verbis decreti patet; & pluribus ostendit Fagnanus ad Cap. RELATUM, & De Clericis non residentibus.

V. Et licet horum decretorum rigorem quoad licentiam Episcopi, aut Decani Ruralis pro absentia exigui temporis, modò alteri idoneo interim cura Animarum committatur, usus in plerisque locis nonnihil temperaverit; ipsaque absentia paucorum dierum causa conscientia Pastorum videatur relicta, tamen præallegata decreta satis ostendunt, quàm solliciti esse debeant Parochi, ne unquam oves suas pastoralis presentia privent; sed illis continuo adsint: idque non tantum presentia corporali, sed pastoralis; id est, continuà vigiliantia & sollicitudine. Unde Synodus P. I. Cameracensis tit. De Pastoribus residentia cap. 2. ait: "Pastores non modò presentia, sed officio & ministerio resideant in suis Ecclesiis."

lorum, qui, ut eorum Acta referunt, dixerunt: "Non est æquum nos relinquere Verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo Fratres, inquietabant, viros ex vobis boni testimonii plenos Spiritu Sancto & Sapientia, quos constituamus super hoc opus, nos verò orationi, & Verbi Dei Ministerio instantes erimus."

Hinc illud Apostoli: *Veni mihi si non Evangelizavero.* Hæc quoque ostendunt, Apostolos haud dubitasse, quin ipsi, & consequenter qui ipsis in Curam Animarum, & Ecclesiarum regimen succederent, id muneris per se implere deberent.

III. Proinde Synodus Tridentina non novam aliquam obligationem Pastoribus imposuit, sed jure naturali & divino impostam utiit, dum Sess. 5. cap. 2. De reform. præcepit, ut "Quicumque Parochiales vel alias Curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua & earum capacitare pascant salutaribus verbis; docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate sermonis vitia quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oportet, ut poenam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant."

Verum cum experientia notorium sit, Catholicis plerisque lacte potius, quàm solido cibo opus esse; Pastoribus & Animarum Curatoribus singulariter incumbendum instructioni, in qua prima Fidei & Religionis rudimenta ad captum & parvulorum & rudiorum traduntur, quam hodie *Catechismum* dicimus. De qua instructione agit Synodus Tridentina Sess. 24. cap. 4. De reform. eamque ut per necessarium, vult in singulis Parochiis diebus Dominicis & Festis fieri.

IV. Mirum! quanta sollicitudine hanc instructionem Parochis commendent Synodi Belgicae.

Synodus P. II. Cameracensis tit. 21. cap. 5. postquam præcedenti capite de hac instructione à Parochis instituenda dixisset, ait: "Si quis autem Parochus non legitime impeditus hoc tam necessarium officium, quod etiam ex Concilii Tridentini Decreto præstare debet, præterminerit, is toties unius floreni multam fabricæ applicandam incurrat, quoties hoc neglexerit."

Deinde c. 6. subjungit: "Ut autem etiam ipsi Parocho succurratur, omnibus Sacerdotibus & Clericis, qui intra fines Parochiæ degunt, præcipit hæc Synodus, ut eum in hoc Sancto docendi munere pro sua quisque vilitati adjuvent."

Sanè, si omnes passim Sacerdotes tam sancto & necessario operi, ubi per alias graviore & magis necessarias occupationes licet, applicentur; & populus foret instructior; & Sacerdotes ab otio, multorum malorum & scandalorum occasione, retraherentur.

Synodo Provinciali consonans Dioecœsana Cameracensis anno 1604. præcipit, "Ut saluberrimam Catechismi doctrinam nunquam intermittant Parochi, etiam si paucissimi forent Auditores; sed singulis diebus Dominicis, ante vel post Vesperas diligenter eo munere fungantur, magnam à Domino mercedem tam pii operis consecuturi." tit. 3. cap. 5.

Non minori zelo & efficaciâ hoc Catechizandi opus reliquæ Synodi incitant: obsecratque Synodus Gandensis, "Omnes & singulos Pastores per viscera misericordiæ Dei, & sub obtestatione Divini iudicii mandar, ut huic officio feridè, diligenter & sine intermissione incumbant, tum in suis Parochiis, tum in Scholis, aut si fieri possit, in particularibus Congregationibus per hebdomadam, aliquando indicendis in vicis à Parochia sua remotioribus." tit. 4. cap. 3.

V. Et quia, ut jam dictum est, non solum pueris, sed & adultis necessaria esse solet hæc instruendi ratio; utpote frequenter in præcipuis, & maximè necessariis Religionis

Ræcepto divino mandatum esse omnibus, quibus Animarum Cura commissã est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre: verbiq; Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere, declarat Synodus Tridentina Sess. 23. cap. 1. De reform.

Porrò eodem jure, quo mandatum est eis, quibus cura Animarum commissã est, in hæc incumbere, eos ad personalem residentiam teneri, nemo negarit, qui cum eadem Synodo fatetur hæc omnia ab iis nequaquam præstari posse, qui gregi suo non invigilant & assistunt.

II. Nemo ergo miretur quod ex Cajetano refert Fagnanus ad Cap. EX PARTE, *De Clericis non residentibus n. 21.* quòd nimirum "Nullus Antiquorum contradicebat, quin Pastores Animarum tenerentur sub præcepto divino ad personalem residentiam." Quam Veterum sententiam contra quosdam Neotericos solidissimis & evincuntibus fundamentis ibidem astruit Fagnanus: ostenditque, quòd licet Synodus Tridentina eam sententiam expressè & in terminis, ut ajunt, non definièrit, nihilominus sufficienter eam in allegatis verbis insinaverit, & virtualiter declaraverit.

Unde Synodus Bifcoducensis sub Masio tit. 17. cap. 1. præmissis functionibus pastoralibus subjungit: "Ad implenda & præstanda hæc pastoralia officii debita, ad assistendam apud oves suas residentiam se jure divino obligatos esse intelligant Pastores"

III. Hæc considerantes Principes nostri voluerunt, in omnibus litteris Prælati concedendis super provisionibus Apostolicis parochialium Beneficiorum, expressè exprimi, provisum teneri personaliter residere in loco Parochiæ, nec per alium posse deservire. Edicta 28. Nov. 1541. art. 32. & 33.

Et in placeto, quo privilegia Nominatum hujus Academiæ probantur, cavetur, ut in litteris Nominatum ad Beneficia Curata inseratur clausula personalis residentia.

IV. Synodi nostræ Belgicæ conformiter ad Synodum Tridentinam, vix temporariam ac quantumvis brevem à Parochia sine expressa licentia absentiam concedunt. "Pastores, ait Synodus Bifcod. loco citato, nec ab ovis suis sine licentia Decani ruralis, ac nisi alteri approbato ab Ordinario curã commissã ultra octiduum absint." Idem declarat Syn. Antwerp. sub Miræo tit. 16. cap. 15. additque: "Habitetque (Pastor) non solum intra limites suæ Parochiæ, sed etiam non procul ab Ecclesia, nullo autem modo in diversorio quopiam seu taberna, aut in domo quapiam malæ fame."

Ulterius progressus vigilantissimus Gandensium Antistes Antonius Triest in Decretis Synodalibus tit. 16. cap. 15. declaravit: "Nulli Pastorum licere, ultra quatuor dies (inclusis nempe diebus exitus & reditus) abesse, nisi de licentia suorum respectivè Decanorum in scriptis obtenta. Quòd si verò ad octiduum vel diutius abesse cogantur, nostrum erit hujusmodi facultatem concedere, nec tum demum licebit eis discedere, nisi præviè Decano, deinde populo significaverit, cuiusnam vices suas durante absentia delegaverit. Contra

CAPUT IV.

Parochi alique Animarum Curatores tenentur per se instructioni populi, aliisque functionibus Pastoralibus incumbere.

- 1 Probatur ex Concilio Tridentino.
- 2 Præcipua Pastoris functio est instructio populi.
- 3 Eam tenentur per se obire.
- 4 Instructio vulgò dicta Catechifatio multum à Synodis commendata.
- 5 Hæc etiam adultis necessaria.
- 6 Nunquam intermittenda.

Synodus Tridentina Pastorum aliorumque, quibus Cura Animarum commissã est, obligatione personaliter residenti colligens ex Divino præcepto, "Quo iis mandatum est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbiq; Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere," pro indubitato supponere debuit, Pastores aliosque Curam Animarum habentes, eodem Divino præcepto teneri ea per se facere.

Si enim huic præcepto satisfecerent, modò ea per alios facerent: hoc est, alios delegando, qui oves agnoscerent, Sacrificium pro iis offerrent, Verbi Divini prædicatione pascerent, &c. quæ specie ex allegato præcepto Pastorum personalem residentiam concludere potuisset Synodus? Aut quomodo dixisset potuisset Synodus, "Ea omnia nequaquam ab iis præstari & impleri posse, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deferunt." Quandoquidem hæc omnia etiam ab absentibus, & iis qui mercenariorum more gregem suum deserunt, facile præstari possent, si ea per alios præstare possent.

Nihil ergo evidentius, quàm ex mente Synodi, Parochos aliosque quibus Cura Animarum commissã est, debere munia pastoralia per se præstare, & implere. Et sanè quid à ratione magis alienum, quàm habere Officium, & non facere quæ Officii sui sunt: Habere Curam, & nolle curare? Esse Pastorem, & non pascerere?

II. Porro, cum inter cætera quæ spectant ad Curam Animarum, teste Concilio Lateranensi in Cap. 15. de Officio Ordinarii, pabulum Verbi Dei per maxime noscatur necessarium, hi quibus Cura hæc incumbit præcipuè solliciti esse debent, ut illud ovis porrigatur: exemplo Apostoli
Van Espen Jus Eccles. P. I.